RESPONSUM,

IN QUO

Præmissa circa Filium Patris Successorem Jura, ex II. F. 45. profluentia, in Quæstione simili Castrum BURGAU *Cameræ feudalis* Heinsbergensis *Feudum tangente in specie applicantur tantum.*

§. I.

FACTI SPECIES.

Quid nunc in causa feudali circa *Castrum* & *Subdynastiam* Juliacensem BURGAU, Cameræ & Dynastiæ *Heinsbergensis*, ad Ducatum *Juliacensem* nunc spectantis, feudum adhuc pendente, qua *Dissertationis* præmissæ causa occasionali, ad Quæstionem omnino similem, in qua & totius causæ hujus cardo meo, S. S. Judicio vertitur, in specie juris & judicandum sit; præmissa jura in substrata *Facti Specie* applicanda, & actu vere applicata docebunt.

DANIEL L. B. *de Elmpt*, *Dominus in Burgau* anno 1674. cuidam M. ANNÆ CATHARINÆ, *Domicellæ de Wolff Metternich* se desponsavit, Castrum, Villam, & Dynastiam integram BURGAU cum appertinentiis inter cætera *propter Nuptias* ea lege *donavit*, ut, si *ipse* ante illam *improlis* decederet, aut liberi cum illa procreati post mortem suam, ante illam tamen, e vita discederent, *Sponsa*, sic in futurum *Vidua*, hanc Dynastiam ut lucrum *Donationis propter Nuptias* præter reliqua sibi propriam habeat & retineat, cum facultate desuper sicut reliquis bonis suis libere disponendi,

Hæc *Pacta dotalia* eodem anno a Domino directo JULIÆ & MONTIUM DUCE ad instantiam desuper promisso in iisdem modo factam confirmabantur, prædicta propter nuptias *donataria* in vim & jure horum pactorum ita confirmatorum una cum Marito suo DANIELE *de Elmpt in Burgau* 10ma Julii ejusdem anni ab eodem etiam modo investiebatur. Natus ex hoc thoro unicus filius FRANCISCUS HYERONIMUS *de Elmpt* quando, præmortuo modo Patre & respective Marito DANIELE, anno 1704. improlis obibat; *Vidua Mater* 23tia 7bris ejusdem in vim pactorum dotalium nunc purificatorum, & investituræ modo habitæ a Serenifs. DUCE *manutenebatur* in possessione, posthæc bona illa ipsi propter nuptias cum consensu Domini donata 21ma Augusti sequentis seniori Fratri suo JOANNI ADOLPHO *de Wolff Metternich*, retento sibi tantum usufructu ad dies vitæ, cessit & deoccupavit; quam cessionem Serenifs. DUX Dominus & territorialis & feudi *Burgau* directus non solum 12ma 9bris subsecuti confirmavit, sed & *Cessionarium* hunc 10ma Julii 1705. de bonis feudalibus ipsi a Sorore cessis, signanter de *Dynastia Burgau* quæstionis feudo Cameræ *Heinsbergensis* ad DUCEM JULIACENSEM spectantis investivit. Interea post mortem prædicti FRANCISCI HYERONIMI certus quidam WILHELMUS *de Elmpt in Dammerscheid* præter Sororem suam consanguineam HENRICAM, qua prætensus FRANCISCI HYERONIMI modo mortui agnatus collateralis, in specie cum hujus FRANCISCI HYERONIMI Patre DANIELE compatruelis, contra præmissa, extrajudicialiter tamen, suscitabat motus & prætensiones, in specie quoad Successionem in *Dynastia feudali* BURGAU cum appertinentibus juribus & bonis; quapropter a *Vidua de Elmpt* Domina in BURGAU nata de *Wolff Metternich* ad justificandam prætensionem Successionis hujus feudalis *judicialiter* 21ma Febr. 1705.

pro-

provocabantur. Adhæc causa illa inter hanc *Viduam* ab una, & WILHELMUM *de Elmpt in Dammerscheid* ejusve Uxorem ANNAM MARIAM ab altera parte, per *Transactionem*, media amicorum & arbitrorum *de Schaesberg & de Schellard* interpositione, 9na Maji 1705. conclusam ita fuit composita, ut provocatus prætendens WILHELMUS una cum Uxore sua (in specie & *expresse* ab utraque parte *attento* 1*mo*) quod pacta dotalia cum *Viduæ de Elmpt in Burgau* contrasigentis prædefuncto Marito DANIELE *de Elmpt* inita, & a Serenis. DUCE Juliacensi Domino feudi directo & territoriali confirmata illi *Castrum & Dynastiam* BURGAU jure adjudicent, ipsaque 2*do*) in statu viduitatis hanc Dynastiam *aliquot* 1000. (scilicet 40000.) Imper. melioraverit, 3*tio*) Soror autem WILHELMI consanguinea conprovocata vi notorum jurium feudalium in hoc feudo BURGAU *præ-* aut *una cum* fratre WILHELMO nequidem, præscindendo a pactis dotalibus, succedere possit) prætenso huic toti Successionis juri uti & aliis quomodocunque figurandis prætensionibus *erga* 3000. *Imper. pro se & suis tam futuris quam præsentibus Liberis & hæredibus in perpetuum* renuntiaverint, omne jus, *sive* ipsis *modo* aut *in futurum*, *sive* illorum liberis & ulterius secuturis & nascituris hæredibus *de præsenti* aut *in futurum* quandocunque competens & respective competiturum, *Viduæ de Elmpt in Burgau* ejusve hæredibus *pleno* & *perpetuo jure* cesserint, hisque omnibus nunc & in perpetuum etiam per hæredes suos, absque ulla unquam *juris exceptione* in contrarium movenda, in specie *læsionis*, *non satis examinati status & qualitatis bonorum*, *restitutionis in integrum &c.* firmiter stare, *juramenti loco & vice* promiserint.

Transactio hæc ita conclusa statim expost, scilicet 11ma Maji, a Serenifs. DUCE ex omni ejus potestate & superioritate, *salva cæteroquin*, uti simul in eadem exprimitur, *manutenentia Viduæ antehac data*, etiam fuit confirmata. Instrumento hujus Transactionis non solum, sed etiam Quittanciæ solutorum 26ta Maji ejusdem 3000. Imp. CASPARUS *de Elmpt Dominus in Dammerscheid* filius Parentum, scilicet Patris WILHELMI *de Elmpt* & ANNÆ MARIÆ *de Dammerscheid* Matris, natus 12ma Febr. 1679., sicque modo *majorennis* 26. annorum, una cum his tanquam *conacceptans* & *concreditor* ex præcedente Transactione subscripsit. Interim causa hæc feudalis contra WILHELMI Sororem HENRICAM simul provocatam ad finem usque perducta per *Sententiam* de 23tia Febr. 1706., cum absolutione *Viduæ* ab omni actricis HENRICÆ tam *allodiali*, quam *feudali prætensione* definitive decidebatur.

§. II.

Quando *primum*, a quibus, & quomodo *in hunc usque diem contra hanc Transactionem veniri voluerit.*

Causæ huic ita transactæ & sopitæ diebus viventis WILHELMI & expost stabatur, donec ejus filius ipse CASPARUS *de Elmpt in Dammerscheid*, occasione litis inter Curatelam de *Wolff Metternich in Gracht & Burgau* ab una, & *Comitem de Schaesberg*, ANNÆ MARIÆ CATHARINÆ *de Wolff Metternich*, *Viduæ de Elmpt in Burgau* expost factum *secundum Maritum*, ab altera parte, *Wetzlariæ* circa varia bona & jura per aliquot annos modo pendentis, ad causam hanc 9na Febr. 1724. *intervenire*, sicque interveniendo tanquam proximus FRANCISCI HYERONIMI *de Elmpt* 1704. improlis mortui

agna-

agnatus 1*mo*) bona ab hoc FRANCISCO HYERONIMO ut feudalia, & reliqua immobilia præsertim stemmatica in *Ducatu Juliacensi* sita, in specie & feudalem *Dynastiam Burgau* cum appertinentiis, tanquam ad ipsum *devoluta*, 2*do*) omne etiam *transportationis* vel *aliud* forsan contrarium *pactum* inefficax pro *sub-* aut *obrepto* & nullo *declarari*, aut 3*tio*) saltem ex capite *læsionis enormissimæ rescindi*, & quidem inattenta hic, tantum non expressa, nihilo tamen minus *sub Num.* 2.) intellecta, & in mente habita Transactionis & Quittanciæ præmemoratæ propria subscriptione, *petere* attentabat. Ad quam tamen interventionalem Instantiam ibidem cum prætensionibus suis *ad Curiam feudalem* simpliciter eodem anno remittebatur. Ab hoc tempore usque ad annum 1754. omnino quietum fuit, ubi, CASPARI *de Elmpt*, anno 1730. modo mortui, filio seniore CAROLO JOSEPHO Electoralis Palatinæ Legionis Birkenfeldianæ tum temporis Centurione, 14. Junii, ad feudum hoc BURGAU pro se & duobus fratribus suis junioribus a familia *Comitum de Wolff Metternich* prætense revocandum, se primum accingente actuque revocare tentante, 21ma Maji 1755. ferebatur *Decretum cavendi* pro judicato futuro, & sese tanquam proximum FRANCISCI HYERONIMI Successorem feudalem ad causam *qualificandi*. Post hoc Decretum causa hæc iterum iterumque quiescebat, donec tres illi filii CASPARIS & respective fratres, in hodiernum usque diem adhuc desuper litigantes, unitis viribus & repetitis vicibus causam hanc feudalem feudi BURGAU revocatoriam 1775. reassumebant. Adhæc nova anno 1777. die 23tia Xbris hæc ferebatur *Sententia interlocutoria*: „Ut actores probent, se *vel* patris CASPARI „hæreditatem *cum beneficio Legis & Inventarii* adiisse, *vel* hæredi„tatis *nihil*, & bonum *Dammerscheid* titulo *particulari* accepisse.“ A parte *Actorum* ab hoc interlocutorio appellabatur, cui etiam appel-

lationi

lationi a parte *Rei* expresse adhærebatur, & appellatio hæc in *superiore Ducali Julio-Montensi Appellationis Judicio* introducebatur, ac denique ibidem 29na Febr. 1781. hæc publicabatur *Sententia definitiva* simul prioris interlocuti in favorem *Actorum* reformatoria: „Ut „pars appellata & adhærens feudum BURGAU" (NB. quia esset ex *pacto & providentia majorum*, & bonum *familiæ de Elmpt stemmaticum*, quæ fuit principalior imo unica ita judicandi ratio) „una „cum *pertinentiis* (Villis feudalibus in *Stockheim & Stepratb* ex„ceptis) uti & *perceptis* a die litis contestatæ, scilicet ab 11ma 7bris. „1754., refundendis deoccupet; *Expensis* tamen *compensatis*, & *salvo* „*regressu* in puncto 3000. Imper. WILHELMO *de Elmpt* & ejus Uxori „*Actorum* Avo & respective Aviæ solutorum in separato instituendo." Ab hac Sententia appellatus adhærens ad ulteriorem provocavit Instantiam, & nunc quæritur, an ex præmissis con- aut reformatorie judicandum sit.

§. III.

Transactio Wilhelmina, *etiam 1mo) ut* alienatio stricte talis *considerata*, imprimis *obligabat* WILHELMI *filium* CASPARUM de Elmpt, *quin contravenire unquam jure potuerit 1mo) ex principiis & vi textus II. F. 45.*

In facto igitur clarum & liquidum est, quod prædictorum trium fratrum *de Elmpt* feudum BURGAU actu adhuc revocatorie prætendentium *Avus* WILHELMUS, media transactione cum *Vidua* DANIELIS *de Elmpt*, nata *de Wolff Metternich*, 1705. *pro se & hæredibus suis, liberis præsentibus & futuris* expresse inita, feudum illud huic in vim pactorum dotalium DANIELIS *de Elmpt* a Domino directo confirmatorum, Investituræ, & manutenentiæ subsecutæ, in possessione

ſeſſione tantum reliquerit, juri ſuo revocationis *prætenſo* valde dubio erga certam Summam renuntiaverit. Quodſi itaque etiam 1*mo*) hanc *Transactionem*, qua mediante poſſeſſio feudi hujus in manibus *familiæ de Wolff Metternich* cum conſenſu *Domini directi* modo exiſtens tantum plenius fuit confirmata, pro ſpecie *alienationis ſtrictæ*, qualis tamen juxta inferius (§. XI. & XII.) dicenda non eſt, uti & feudum hoc ipſum pro *feudo ex pacto & providentia majorum*, ſeu, ut ab adverſo amatur urgeri, *bono familiæ de Elmpt ſtemmatico* habeamus, ſimulque a feudi hujus *quæſt.*, uti & reliquorum tum ad eandem *Cameram Heinsbergenſem*, tum alias vicinorum *territoriorum Cameras feudales* ſpectantium, *alienabilitate* ſaltem cum *ſolius Domini directi* & *absque* agnatorum conſenſu omnino libera præſcindamus; attamen præter & per *Avum* WILHELMUM ita tam pro ſuis præſentibus & futuris liberis & hæredibus, quam pro ſe expreſſe transigentem, *Imprimis* hujus filius, & reſpective adhuc prætendentium *Pater*, CASPARUS cum omni ulteriore præſente & futura descendentia 1.) ex principiis præmiſſis (*Diſſert.* §. VI. & ſeq. §. XIV. & ſeq. §. XVII. & ſeq.) & vi *Textus* in II. F. 45. (Vide *Diſſert.* a §. II.—VII) juncto Transactionis expreſſo tenore in perpetuum excludebatur, *vel* quia revera fuit WILHELMI Patris ſui præmortui hæres allodialis (uti præſumitur, & debuit fuiſſe volens habere feudum non alienatum, cujus contrarium nequidem ab *actoribus præſentibus* allegatur) *vel* quia non fuit, & *noluit*, ſeu *repudiavit* hæreditatem WILHELMI; nam excluſio CASPARI filii ab hæreditate WILHELMI paterna per *exhæredationem* non præſumitur, ſed probanda, non tamen hucusque allegata, minus probata eſt. Quod autem WILHELMUS præmortuus & quidem ante annum 1724 fuerit, *tum* ex interventionali Inſtantia per CASPARUM ejus filium, qui modo obiit anno 1730. (§. IX.)

anno 1724. Wetzlariæ *unice & privative* facta, *tum* ex Decreto 23. Xbris 1777 publicato (Vide §. II. in pr. & fine) extra controversiam est.

§. IV.

2.) *Quia eidem* subscripsit *modo* majorennis, *& subscribendo* consensit, *seu* contransegit.

Casparus filius Wilhelmi, & pater modernorum Actorum, non solum *qua filius* ex II. F. 45., sed & ideo 2.) non potest contra hanc Transactionem, etiam qua *alienationem stricte talem* interim consideratam, venire, quia eandem simul una cum parentibus *simpliciter* modo *majorennis* 26 *annorum* subscripsit, & subsignavit, ita subscribendo & subsignando ratihabuit, & confirmavit, sive *ante* sive *post* Arbitros, Amicos & testes *qua tales* in Instrumento transactionis explicite nominatos subscripserit. *Dominus* autem, & *Successor*, sive *filius*, sive *agnatus*, sive *simultanee investitutus* vasalli circa feudum contrahentis vel transigentis simili contractui simpliciter subscribens *qua talis* subscripsisse, & in eum consensisse præsumitur, sicut *Creditor pignoratitius* tabulas venditi boni abante oppignorati simpliciter subscribens *a)*, nisi de alia subscribentis mente pro tunc existente nunc constet, quæ hic eo minus potest præsumi, cum & illorum duorum impartialium, qui tanquam *amici*, *arbitri & testes* voluerunt adhiberi a primariis partibus transigentibus, *qua talium* in ipso Instrumento tantum expressa fiat mentio, Casparus filius parentum primario transigentium vero simul *Quittanciam* super solutione perfecta tanquam pluribus interessatis sub clau-

a) L. 8. §. 15. ff. *quibus modis pignus vel hypotheca solvitur.* Ubi ita: „Non videtur autem consensisse Creditor, si, sciente eo, Debitor rem vendiderit; cum „ideo passus est venire, quod sciebat, ubique pignus sibi durare: *sed si subscripsorit forte in tabulis emptionis, consensisse videtur*: nisi manifeste appareat, deceptum „esse; quod observari oportet, etsi *scriptis consenserit*.

clausula: *Nobis infrascriptis* facta, & simultanea Declaratione, *nullius superstitis prætensionis* expresse conceptam una cum Patre & Matre tantum, absque duobus illis in transactione simul adhibitis, subscripserit, & subsignaverit.

§. V.

Deinde *ex eodem jure* (§. *III.*) *hac Transactione etiam* CASPARIS *dudum modo mortui* descendentes, & *quidem I.*) qua tales *obligantur*, *qui tamen illud feudum adhuc prætendunt.*

Deinde ex eodem juris fundamento, quo CASPAR filius WILHELMI, si etiam *ille* non ita subscribendo & consentiendo contransegisset, nec Transactio illa simul quoad *hæredes* & *descendentes quoscunque* etiam futuros adhuc *expresse* concepta & directa esset, adhuc vivus non posset venire contra factum sui patris WILHELMI, nec actuales tres prætendentes I.) *qua filii* descendentes CASPARIS, si hic etiam in Transactionem paternam *Wilhelminam* non ita consensisset, multo minus ubi hoc factum est (Vide *Dissert.* §. XIII.) nunc contra obligationem & respective factum *Patris* & *Avi* venire possunt; *sive* Patris CASPARI immediati alias antecessoris, quippe qui diem feudi ad ipsum ab ejus Patre WILHELMO præmortuo devoluti, si ita transactum & respective alienatum non fuisset, superyixit (Vide jam cit. *Dissert.* §phum.), hæredes allodiales fuerint reipsa, *sive non* fuerint, quia noluerunt & repudiarunt. Idem omnino juris esset quoad filios CASPARI, si hic etiam in supposito (§. III. in fine) ante WILHELMUM patrem suum respective Avum fuisset mortuus; quo in casu nequidem præmortui patris CASPARI, sed tantum WILHELMI Avi immediati in feudo BUR-

GAU, si per Transactionem non abdicatum fuisset, alias antecessoris hæredes allodiales necessario esse debuissent (*Dissert.* Prol. Q. VI., & §. V. N. 4.), ejusque factum Transactionis qua hæredes nunc præstare adhuc deberent. An autem revera fuerint, nec ne, hæredes Patris sui CASPARI, ex eo decidi nequit, *an* quid veri lucri seu commodi ex hæreditate ejus ceperint, *an* vero *non*, atque adeo hæreditas mobilaris, ut allegant ipsi, ad instantiam Creditorum distracta, & in solutionem Creditorum per totum impensa fuerit; cum non a *commodo* vel *non commodo* aut adeo *damno* hæreditario, sed a *Successione* vel *non Successione* in *universum jus defuncti*, quamvis magis passivum quam activum, dependeat qualitas *hæredis* aut *non hæredis*; sed illud inde eruendum est, *an* mortui patris CASPARI hæreditatem quamvis obæratam *adierint*, seu illi *se immiscuerint*, uti debuerunt necessario absque beneficio deliberandi, si volebant feudum casu, quo non alienatum fuisset, retinere, *an* vero illam forsan ideo, quia obærata erat, vel aliam ob quamlibet causam *repudiaverint*, aut saltem ab illa se *abstinuerint* non immiscendo. Si *hoc*, uti volunt, tunc nequidem possent feudum quæst., si illud pater CASPARUS post mortem suam in possessione sua etiam actu adhuc reliquisset, repudiato ejus allodio tanquam obærato vi Textus in II. F. 45. *habere* seu *retinere*; multo minus nunc erunt qualificati ad illud in aliorum manibus cum consensu Domini & parentum antecessorum existens *revocare*. Si *primum*; tunc, sive *cum*, sive *sine* beneficio Inventarii hæreditati patris etiam obæratæ se immiscuerint, (*Dissert.* §. XXVII.—XXXIII.) non possunt venire contra factum patris ex principiis *Dissertationis* præmissæ (§. VI. in specie) sicque ex illa parte bene in *definitiva*, quamvis *qua tali* cæteroquin adhuc (s. h.) gravatoriali, *Interlocutum* de 1777. (sub §. II.) reformabatur,

§. VI.

§. VI.

Respondetur illorum Argumento Exceptionis: Non fuimus Patris CASPARI hæredes.

Argumentum igitur, quo *Prætendentes de Elmpt* uti voluerunt ad prætense probandum, se non fuisse hæredes Patris CASPARI, scilicet hoc: „*Patris nostri bona mobilia relicta ad Instantiam Creditorum fuerunt distracta &c.*; *ergo non fuimus ejus hæredes*" valde ridiculum est; atque exinde *tum* nullatenus probatur, illos revera non fuisse hæredes, (*Diss.* §.XXVII. & sq.) uti tamen allegant, *tum* adeo probatur, quod tales, & quidem ob hæreditatem obæratam, esse *non voluerint* per *repudiationem* seu *abstinentiam*, qua stante filio ad feudi Successionem nullus patet aditus, uti ipse adeo admittit AUTHOR *adversariæ Dissert.* Cap. I. *Hæc* autem non præsumitur a parte *liberorum*, qua hæredum patris *suorum ipso jure*, salvo tantum alias abstinendi beneficio, hic in filio feudum patris habere volente nequidem libero; quæ igitur abstinentia qua quid facti probanda, in casu autem substrato adeo improbabilis & eo incredibilior est, ubi tres illi *fratres de Elmpt* feudum quæst. revocatorie adhuc prætendentes, præscindendo etiam quo *jure*, universali, an particulari, in bono *Dammerscheid* aut ejus parte actu successerint, simul instituerunt contra supra dictam Transactionem parentalem remedium *L. 2. Cod. de rescindenda vend &c.*, sicque *implicite*, se hæredes fuisse, cum contradictione eo ipso fatentur, quia alias illud remedium, utpote ab ipso contrahente aut ejus hærede tantum intentabile, nec allegare potuissent; *vel* fuerunt ergo hæredes patris CASPARI de facto *quamvis obærati*, & quidem *sine beneficio Inventarii* adeo, utpote quale ab iis erectum non esse & ipsi fatentur, *vel* non fuerunt, idque ob *repudiationem* seu *abstinentiam*

ex quovis motivo factam (nam exclusio illorum per ipsum patrem *obæratum* facta nequidem allegatur, minus probatur, imo inanis & lepida fuisset) in Neutro casu poterunt venire contra patris Transactionem (*Dissert.* §. VI. & XXVII.—XXXIV.).

§. VII.

Præmissa (in §. III. V. & VI.) juris feudalis communis ex II. F. 45. per usum & observantiam Julio-Montensem, *ubi desuper agitur, comprobantur.*

Atque hæc quoad filios CASPARI feudum quæst. adhuc judicialiter prætendentes, *sive* ejus hæredes fuerint unquam, *sive* non fuerint ob repudiationem seu abstinentiam, hucusque dicta ex Textu II. F. 45. eo aptius hic concludunt, quo certius in ipsis adeo litteris informatorialibus a *Consilio Ducatus Julio-Montensis intimo* ad *Consilium imperiale Aulicum Viennense* 20ma Febr. 1736. in certa causa feudali *Wilhelmsteinio-Juliacensis Cameræ* datis asseritur & confirmatur, quod *Jus Feud. Longob.* in specie quoad Textum in II. F. 45., in *Ducatibus Juliæ & Montium* cum doctrina hac feudalistarum, tradentium signanter, *quod hæredes sui non possint repudiare hæreditatem allodialem retenta hæreditate feudali*, ubique sit receptum. Hæc doctrina ex II. F. 45. a nemine juris feudalis perito etiam *Julio-Montensi* vel alio vocatur in dubium quoad feuda, in quorundam sententia ex *Provisione legis*, ab aliis *hæreditaria mixta* dici solita, scilicet pro *acquirente* & ejus *hæredibus*, aut *successoribus &c.* in specie & *explicite*, aut saltem *implicite*, nimirum *informiter* absque ulla mentione *hæredum* aut *descendentium*, concessa; qua ultima in forma etiam super feudo BURGAU quæstionis simpliciter, absque ulla liberorum, descendentium, aut hæredum mentione, cum sola relatione ad antecessorum investi-

investituras, omnes successive *Renovationum* uti & *Reversales Litteræ* reperiuntur expeditæ. Sicque hic nequidem obest illorum Sententia, qui feuda pro *acquirente* & ejus *liberis*, *posteris* aut *descendentibus* data tantum ex *Pacto & providentia majorum* nominant, de jure & in ejus effectu instar *fideicommissorum familiæ* habent, & prioribus tanquam ex *Provisione legis* talibus in eo signanter opponunt, quod de *his* tantum, quasi *aliqualiter hæreditariis*, non vero de *illis*, scilicet qua feudis *familiæ* & ex *Pacto & providentia majorum*, loquatur & intelligi possit Textus in II. F. 45., quam tamen & Sententiam ita distinguentem omni genuino juris fundamento destitutam, ac feuda hæc omnia *indistincte* ex *Pacto & providentia majorum*, nullatenus hæreditaria, sibique de jure æqualia, & in II. F. 45. comprehensa esse cum pluribus aliis sustineo, (Videatur *Dissert.* hujus §phus I. Litt. *b*), imo nec AUTHOR adversariæ *Dissert.* in Cap. I. ita distinguit. Atque ita corruit modo etiam illorum Argumentum hac in juris quæstione a *fideicommissis familiæ* ad *feuda ex Pacto & providentia majorum*; si etiam verum esset, uti non, (*Dissert.* §. XXXIV. & seq.) quod hæredis fiduciarii Successor, quamvis simul allodialis hæres ejus, fideicommissum extraneo alienatum aut relictum possit repetere; cum feudum quæst. juxta prædicta tale non, sed ex *Provisione legis*, seu *secundum quid* saltem *hæreditarium* esset.

§. VIII.

CASPARI *descendentes* (§. *V.*) *feudum quæst.* jure *revocare non possunt II.*) *quia & tempore Transactionis* nondum *erant* nati, *nec* concepti.

II.) Tres illi de præsenti feudum quæst. adhuc prætendentes *fratres de Elmpt* idipsum jure Successionis revocare non possunt, eo quod tum per Pacta dotalia de 1674. collateralis DANIELIS, tum per

Trans-

Transactionem *Parentum* propriorum, qua omnium & unicorum, in quantum constat, tum temporis agnatorum & successorum pro re nata futurorum feudalium *de Elmpt*, anno 1705. subsecutam, accedente ubivis confirmatione & consensu *Domini directi*, in familiam *Metternichianam in Gracht* modo erat translatum, & respective in eadem quoad possessionem perpetuam & pacificam confirmatum prius, quam *Primogenitus* ex illis erat *natus*, imo adeo *conceptus*. Senior enim CAROLUS JOSEPHUS modernorum CASPARI filiorum & respective fratrum *de Elmpt* prætendentium ex propriis illorum allegatis primum 8va Febr. 1720., alter scilicet FRANCISCUS PHILIPPUS 18va Julii 1724., ultimus vero JOANNES MARTINUS 13tia 7bris 1726., consequenter dudum post *avitam* WILHELMI, & *paternam* CASPARI Transactionem de 1705. natus est (*Dissert.* §. XXI. & seq.). Quomodo itaque & quo jure tres illi fratres illo primum tempore *nati* & *concepti*, quo feudum quæst. a) a possessore p. t. ex familia *de Elmpt* in familiam *de Wolff Metternich* modo translatum, b) hocque per proprios illorum adeo parentes, qua unicos tum temporis agnatos collaterales, Transactione confirmatum, (vide *Diss.* §. XXIII. & XXIV.) sicque c) propriorum adeo parentum, per quos saltem & non aliter jus in feudo habent, (§. XXII.) si non illorum simul beneficio & jure (§. III.) ad feudi Successionem, qua fundamentum juris revocandi, admittuntur, jus in feudo omne modo erat eo ipso radicaliter finitum & extinctum, quo per hanc Transactionem desinebant esse *agnati* & *Successores feudales*, quomodo, inquam, nunc idipsum ex *jure in re*, utpote quod illis nunquam adhuc quæsitum fuit, nec per parentes, qua modo ante illorum conceptionem eodem privatos, quæri potuit, possint repetere, etiamsi adeo *hæredes* parentum *extra* propriam etiam repudiationem seu abstinentiam, ut & hic interim simul supponitur,

non

non fuissent, non video, nec capio; cum tempore hujus tam alienationis quam Transactionis nondum concepti nec in rerum natura, nec ad simul transigendum seu consentiendum possibiliter capaces, neque *agnati* ad succedendum in tali feudo, sicut nec ad acquirendam hæreditatis delationem, bonorum possessionem, aut retrahendum, habilis *nomine* & *jure* (§. XXV. & XXVI.) gavisi unquam fuerint, neque actu nunc gaudere possint in ordine ad tale feudum e manibus aliorum vi Successionis repetendum.

§. IX.

III.) Quia tam huic Revocatoriæ actioni, *quam* omni juris Remedio *contra Transactionem modo* longior, *quam* tricennalis *necessaria*, *obstat* Præscriptio.

Præmissa docent, quod tres illi fratres *de Elmpt* feudum BURGAU quæstionis non possent de jure revocare, etiamsi illud aliquot tantum annis ante annum 1754 actionis hujus intentatæ a Parentibus alienatum, & desuper transactum, Pater CASPARUS autem una cum Avo WILHELMO expost adhuc recentius mortuus fuisset; multo minus jam illud post lapsum fere 50 annorum, ab anno Transactionis 1705. usque ad annum 1754. revocationis primum competenter institutæ, revocare poterunt, ubi huic non solum *Revocationi*, sed & *omni exceptioni* & *juris remedio* contra talem Transactionem alias intentabili, uti & in substrato pro parte intentato, *tricenaria Præscriptio*, in jure feudali bene cognita, sicque *tacitus* aut *quasi* saltem *consensus* in alienationem feudi BURGAU (§. XIII.) ex iisdem juris principiis & textu in II. F. 45. obstat. Etenim *Transactio* sæpe memorata, per quam prætensionibus WILHELMI *de Elmpt* primum extrajudicialibus, expost, media provocatione ad justificandum de 21ma

Febr. 1705., etiam judicialibus factis, in specie super feudo BURGAU quæst. satisfactum est, die 9na Maji 1705. per eundem WILHELMUM fuit inita, nec minus ab ejus filio CASPARO præsentium Actorum Patre, *modo majorenne*, subscribebatur, & subscribendo confirmabatur, ratihabebaturque. 14ta Junii 1754. primum in Curia feudali *Actio revocatoria* hujus feudi competenter per filios CASPARI instituebatur; interim horum pater CASPARUS anno 1730., quando consequenter 25. anni post Transactionem modo absque tali revocatione præterierant, obiit relictis tribus filiis, scilicet 1) CAROLO JOSEPHO 1720. nato, sicque 10 tunc circiter annorum, 2) FRANCISCO PHILIPPO 1724. nato, sicque 6 tunc circiter annorum, & 3) JOANNE MARTINO 1726. nato, sicque 4 tunc circiter annorum filio. Ex quo itaque 1) anno morientis patris CASPARI, scilicet 1730. adhuc 5 anni de tricennali præscriptione tantum deficiebant; 2) tres etiam illi CASPARI filii ejus hæredes allodiales fuere, aut saltem, si voluissent ad feudi non translati Successionem actualem venire, citra repudiandi seu abstinendi licentiam & beneficium esse, vel feudo simul renuntiare, debuerunt; 3) præscriptio autem contra antecessorem cæpta contra eundem in Successore universali, uti & contra hunc ipsum respective, per notoria compleri potest, exceptis tantum in *tricenaria præscriptione* annis *Impubertatis* quoad personas hæredum & successorum *b*): præscriptio hæc tricenaria in casu substrato contra singulum ex tribus his filiis & respective fratribus, postquam *seorsim* saltem *puberes* 14. annorum erant facti, & reliqui adhuc 5 anni de illis 30 annis a momento pubertatis com-

b) Vide *L.* 3. *Cod. de Præscript.* 30. *vel* 40 *annorum*: versu: *Non sexus fragilitate,* „*non absentia, non militia* . . . . sed *pupil-* „*lari* ætate *duntaxat* . . . . huic Sanctioni „eximenda. Nam cum ad eos annos per- „venerint, qui ad Sollicitudinem pertinent „*Curatoris*, necessario *eis* similiter, ut *aliis*, „annorum *triginta* intervalla servanda sunt. „Post hanc vero temporis definitionem „nulli movendi ulterius facultatem *patere* „*censemus*, etiamsi se legis ignorantia ex- „cusare tentaverint.

computandi præterierant, & quidem in ſpecie contra CAROLUM JOSEPHUM, 1720 natum, & 1734 puberem factum, modo anno 17—39 ad 40 circiter, contra FRANCISCUM PHILIPPUM, 1724 natum, 1738 puberem factum, modo anno 17—43 ad 44, contra JOANNEM MARTINUM juniorem, 1726 natum, & 1740 puberem factum, modo anno 17—45 ad 46 complebatur; a quo anno tanquam hujus præſcriptionis plenariæ contra omnes tres & ſingulos implemento adhuc præterierunt anni plures usque ad annum 1754, quo Curia feudalis ex Capite Revocationis & prætenſæ Succeſſionis feudalis primum per eosdem ſero nimis implorabatur; ſicque & adeo præter *tricennium* plus quam *quadriennium*, alias in integrum Reſtitutioni ordinarium, hucusque præteriit, ſi etiam, ut interim ſupponitur, illi fratres *de Elmpt* tricennio ſuperiore quamprimum lapſo adhuc *intra quadriennium* ad inſtantiam judicialiter deſuper faciendam, nunquam vero factam, *de jure* potuiſſent ex Capite *Minorennitatis* vel *alia juſta cauſa* in integrum reſtitui.

§. X.

Poſſeſſio & Præſcriptio hæc tricennaria per interventionem CASPARI Wetzlariæ 1724. (*Vide Reſp. §. III.*) *factam nullatenus unquam fuit* interrupta.

Equidem CASPARUS *de Elmpt* intra hoc tempus præſcriptionis tricennio longius, ſcilicet inter annum Transactionis 1705. & annum judicialis Revocationis in Curia feudali competenter primum inſtitutæ, ſcilicet 1754, media *Interventione* contra utramque partem *Wetzlariæ* ſuper variis litigantem (Vide *Reſp.* §. II.) ſicque & contra anteceſſores partis conventæ *Metternichianæ* feudum quæſt. BURGAU adhuc poſſidentis, anno 1724 ratione ipſiſſimi hujus feudi interpoſita,

nominatim aliquam (si hoc nomen meretur) fecit *Interpellationem*; quæ tamen Interventio nihil minus, quam *Interruptionem* possessionis & præscriptionis contra partem feudum illud quæst. ab anno Transactionis 1705. usque ad annum 1754. pacifice possidentem evicit. Hæc enim Instantia interventionalis *qua feudalis* ita *Wetzlariæ* tanquam in Judicio aliquo *Imperatoris* & *Imperii supremo* fiebat 1.) *incompetenter c)*, sicque non *judicialis*, quæ & actionem ad 40 annos perpetuat *d)*, sed ad summum in effectu, si aliqua, tunc *Interpellationis extrajudicialis*, species erat, quæ autem ad interrumpendam possessionem, sicut tamen judicialis, sufficiens non est, nisi & ex circumstantiis intercurrentibus par fuerit possessorem in *mala fide* constituendo *e)*; CASPARUS *de Elmpt* vero tam parum, ac ejus pater WILHELMUS, ita extrajudicialiter interpellando contra factum Transactionis conclusæ & respective subscriptæ *simul proprium* revocando feudum, aut Transactionis *rescissionem* ex Capite *læsionis enormissimæ*, quippe cujus exceptioni uti & pluribus aliis in dicta Transactione *expresse* & *scienter* renuntiatum fuit, petendo *bona fide* & jure poterat venire; consequenter nec possessor pro tempore *de Wolff Metternich* per illam ullo modo in *mala fide* constitui. 2.) Hoc *interventionale ex-*

c) Quod enim in Imperio nostro causæ feudales in Curia feudali coram *Domino directo*, & respective *Paribus Curiæ* sint decidendæ, pro moribus antiquissimis *Germaniæ* & *Italiæ*, id ex jure *feudali Long.* & *allem.* notissimum est; hoc docet & Rescriptum seu Edictum RUDOLPHI I. IMPER. cum consensu Principum, Comitum & Nobilium in Curia *Erphordiæ* 1290. datum, apud de SENCKENBERG in *Corpore J. F. germ.* P. XIII. Litt x.x., item illud SIGISMUNDI IMPER. de 1426. ibidem sub Litt. L.L.L. atque inde etiam sub CAROLO VII. emanavit ille §phus primus Art. XXI. *Capitul. Cæsar.* ubi jus jurisdictionis feudalis Principibus & Statibus Imperii quoad feuda illis subjecta expressius & specialius ab *Imperatore* citra ullum unquam præjudicium confirmatur. Atque ideo CASPARUS *de Elmpt* cum sua Interventione ad Curiam feudalem suam simpliciter & de plano remissus fuit.

d) Per Legem fin. Cod. de præscript. 30 vel 40 annorum.

e) Vide L. 17. Cod. de R.V., L. 20. § 6 & 11. item L. 25. §. 7. ff. de hæred. petitione.

exhibitum nec *nomen* nec *effectum* Interpellationis cujuscunque etiam *extrajudicialis* meretur, cum per illud tum temporis possessor feudi BURGAU quæst. nequaquam fuerit *interpellatus*, nulla adhuc ei desuper *controversia*, seu *quæstio* aut *vocatio in dubium* eo ipso fuerit actu facta, quo hoc interventionale exhibitum vel quodcunque aliud possessori tum temporis *denuntiatum*, *intimatum* aut *communicatum* fuisse nullatenus, bene autem, ad hoc exhibitum remissionem ad Curiam feudalem simpliciter decretam fuisse, constat; absque denuntiatione autem nullam in mora, & mala fide constitutionem, nullam Interpellationem esse, satis docent Leges duæ posteriores sub Litt. *e*) in §phis ibidem citatis. Imo si etiam effectus veræ Interpellationis citra denuntiationem & communicationem hujus interventionalis exhibiti ex *sola* ejus *Scientia* a parte possessoris vellet & posset erui, uti non; illa tamen Scientia non præsumeretur, sed jam deberet probari. 3.) Nequidem hoc *exhibitum interventionale* tanquam *medium* præscriptionem interrumpendi *extraordinarium* & *subsidiarium* juxta *L. 2. Cod. de annali except.* potest considerari; quia, si casus etiam aliquis ex Lege citata in causa substrata præsens fuisset, uti non, saltem ille CASPARUS *de Elmpt* potuisset, sicque debuisset, præsertim *post* Remissionem ad Curiam feudalem *Wetzlariæ* decretam, Libellum desuper in hac Curia coram Domino directo simul territoriali, & Provinciæ Juliacensis Præside exhibere; hoc vero factum non est; consequenter nulla per Interventionale illud exhibitum inducta est præscriptionis interruptio.

§. XI.

Transactio *autem* Wilhelmina *usque adeo* 2do) *nequidem fuit* alienatio *feudi* ſtricta, *uti in* (§. *III.*) *interim ſupponebatur*;

Hucusque in hac applicatione præmiſſæ *Diſſertationis* ad Facti Speciem ſubſtratam (in *Reſp.* §. I. & II.) in ſuppoſito *alienationis ſtrictæ*, ſeu quod mihi cum ſæpe memorata *Transactione*, qua *alienatione feudi ſtricta* conſiderata, res mihi eſſet, laborabam; atque in hoc ſuppoſito contra ſæpe citatum ADVERSARIUM LUDOVICUM BECHTOLDUM BOEHMER, qui & de hac alienatione, tanquam filiis etiamſi hæredibus patris alienatoris non præjudicante, in Cap. III. ſcripſit, prætendebam per filium talem feudum a patre alienatum revocari non poſſe. In ſubſtrata autem Facti Specie & cauſa deſuper feudaliter adhuc pendente inter modernos filios CASPARI *de Elmpt* feudum BURGAU adhuc *revocatorie* prætendentes ab una, & COMITEM *de Wolff Metternich in Gracht & Burgau* ab altera parte, non de *alienatione* feudi quæſt. *ſtricta* ab illorum *Patre* & *Avo* prætenſe facta, ſed de horum *Transactione*, cum Vidua DANIELIS *de Elmpt* nata de *Wolff Metternich*, quæ feudum quæſt. tum temporis modo ex pactis dotalibus DANIELIS *de Elmpt* & inveſtitura Domini poſſidebat, anno 1705. deſuper inita, immediate agitur, & *quæritur* principaliter: „An hæc *Transactio* etiam WILHELMI *Avi* & CASPARI *Patris* ita tranſigentium „Nepotes & reſpective filios, adhuc viventes, & feudum prætendentes, „obliget, quominus revocando contravenire poſſint. Etenim quando FRANCISCUS HYERONIMUS filius DANIELIS prædefuncti mortuus erat anno 1704., tunc quidem inter *Viduam* DANIELIS natam *de Wolff Metternich* ejusve ceſſionarium feudi fratrem JOANNEM ADOLPHUM qua actuales tunc modo feudi poſſeſſores ab una, & WILHELMUM

mo-

modernorum *de Elmpt* prætententium *Avum*, qua prætensum FRANCISCI HYERONIMI defuncti *agnatum proximum collateralem* ab altera parte, de *alienatione stricta* feudi quæstionis BURGAU a DANIELE *de Elmpt* per pacta dotalia de 1674. in casum *nullius* ab illo *descendentis relicti*, aut *post* illum *ante* Matrem *defuncturi*, ad *Viduam*, sicque extra familiam *de Elmpt* primum & modo translati agebatur, & *quærebatur*: „*Num* hæc per pacta dotalia a DANIELE „*de Elmpt* feudi BURGAU alienatio quidem *cum* Domini directi, sed „*absque* ullius agnati collateralis, etiam WILHELMI *de Elmpt in* „*Dammerscheid*, consensu facta ita subsisteret, quin agnatus *etiam non* „*consentiens*, in specie WILHELMUS *de Elmpt*, feudum illud tan„quam ad se devolutum posset revocare;" Paucis & specialius: „*An* „feudum BURGAU esset de *jure* feudali *Juliacensi* & Cameræ *Heins*„*bergensis* saltem *cum solius Domini*, etiam *absque agnatorum con*„*sensu* libere *alienabile*," uti tum temporis *a* & *pro* parte *Metternichiana Viduæ* DANIELIS *de Elmpt* tam quoad hoc feudum in specie, quam quoad reliqua feuda *Cameræ* non solum *Heinsbergensis*, sed & *Juliacensia omnia*, uti & *vicinarum Curiarum feudalium provincialium*, modo prætendebatur, & respective prætendi poterat, atque hodie eo facilius credendum, quo minus præsumendum est, quod Dominus directus hæc *Pacta* cum Clausula *liberæ Dispositionis* expressa, uti & ipsam *Cessionem* feudi quæst. a *Vidua de Elmpt* fratri JOANNI ADOLPHO *de Wolff Metternich* 1704. post mortem FRANCISCI HYERONIMI filii statim in vim Pactorum dotalium factam alias fuisset confirmaturus; „*An vero* feudum hoc *Naturæ feudorum* „*communi* quoad *inalienabilitatem*, sicque sine agnati WILHELMI „*de Elmpt* consensu de facto alienatum ejus *Revocationi*, ut ipse præ„tendebat, esset obnoxium."

§. XII.

§. XII.

Sed nunc unicum in substrata causa feudali revocatoria *objectum* Quæstionis *est.*

Hæc autem quæstio cum non judicialiter, seu per *Sententiam*, sed extrajudicialiter per propriam partium *Transactionem* de 1705. ab ipso Domino directo expost etiam confirmatam, fuerit decisa, in qua WILHELMUS *de Elmpt* una cum Uxore sua & filio CASPARO actualium prætendentium *Patre* (attentis & moventibus absque dubio circumstantiis in Transactione expressis, *tum* in feudi quæst. *alienabilitate* ejusve prægnante testimonio latente in *Confirmatione* prædictorum Pactorum dotalium DANIELIS *de Elmpt*, uti & *Cessionis* feudi a *Vidua* ejus fratri factæ per Dominum directum concessa, *tum* in *melioratione* ejus ad aliquot, scilicet 40 millia Imper. in revocatione saltem restituendorum positis) omni & cuicunque prætensioni ratione hujus feudi contra alteram partem possidentem institutæ aut instituendæ *erga* 3000 *Imper.* pro *se & hæredibus liberisque suis præsentibus & futuris vice Juramenti*, vulgo: **an Eides statt** scienter & deliberate renuntiarunt in perpetuum: *Transactio* hæc inter partes nunc adhuc litigantes in decisione causæ *unicum* & *immediatum* est *objectum Quæstionis*: „An tres illi *fratres de Elmpt* feudum quæst. „*revocando* possint venire contra *Transactionem* illam a parentibus, „scilicet *Avo* WILHELMO, & *Patre* CASPARO ita *ultimo* initam.“ Quæ & eo minus pro *specie alienationis strictæ*, si etiam Transactio alioquin talis esse quandoque potest, hic habenda est; ex quo mediante illa WILHELMUS & CASPARUS *de Elmpt* nullam ex manibus suis possessionem feudi, quippe qua carebant, in manus adversarias *transtulerunt*, sed juri suo *petitorii prætenso* & *dubio* in favorem adversæ partis

NB.

NB. *possidentis* tantum erga Summam aliquam *renuntiarunt*, possessionem illi pacifice reliquerunt & confirmarunt. Si enim *Repudiatio* Legati Ecclesiæ *certo* relicti a *Prælato* libere gratis & simpliciter facta non est *stricta* alienatio boni ecclesiastici; si non intelligitur alienare is, qui *occasione* acquirendi quamvis *certa* non utitur, veluti qui hæreditatem sibi *certo* delatam omittit, *L. 28. ff. de V. S.*; quomodo Transactio a *Petitore* cum Vasallo *Possessore* inita, per quam *ille* erga aliquod sibi exsolvendum in *hujus* favorem *renuntiat tantum* juri suo petitionis *adhuc dubio* & *controverso*, poterit ut *alienatio feudi* considerari?

§. XIII.

Omnis Transactio, *consequenter* & hæc, qua talis *simpliciter* & *in thesi obligat* quoscunque *transigentium* Successores *alias in feudo*, *consequenter* & descendentes, & *quidem multo magis* & *facilius adhuc*, *quam* alienatio stricta (*sub* § *III.*).

Ad dominium feudi utile persequendum & tuendum Vasallis & resp. Successoribus prætensis in feudo etiam solis, tanquam *Dominis*, *Remedia juris* non solum *judicialia*, scilicet jus de feudo *agendi*, & *excipiendi*, illud a quolibet possessore, quamvis Domino ipso, *vindicandi*, uti & aliis remediis tam petitoriis, quam possessoriis experiendi, sed etiam *extrajudicialia*, scilicet jus super feudo *transigendi*, competunt, modo iisdem *bona fide* & ut *bonus Paterfamilias* utatur. Quidquid etiam his remediis juris *bona fide* institutis in causa feudali *tanquam Vasalli propria judicatum*, aut *Transactione definitum* fuerit, firmum & ratum est non solum *inter partes litigantes*, & respective *paciscentes*, sed valet etiam tum contra *Dominum*, tum contra *Successores* alias *feudales*, quamvis non compaciscentes, nec paciscentis

centis Vasalli hæredes allodiales *f*). Loquuntur quidem hi Textus *expresse tantum* de *Domino absente & ignorante*, cui expost aperitur feudum, quod *ille* ita judicatum aut transactum simpliciter debeat habere ratum; exinde tamen *imprimis* non potest erui, quasi vero *Successores in feudo* non teneantur stare tali judicato aut transacto. *Dein* loquuntur indistincte, *sive* Dominus aut respective Successor alias in feudo sit ita transigentis Vasalli hæres allodialis factus, *sive* non. Dicitur enim simul in Textibus illis 1.) „*Omni tempore firmum erit judicium &c.*"; Hoc autem non esset, si & simul non esset firmum tempore & *intuitu Successorum* feudalium, & quidem quorumcunque; cum alias tantum esset firmum hoc judicium *tempore* feudi ad *Dominum* quandoque *reversuri*, & *intuitu Domini*. Dicitur in illis 2.): „Nam & *transigere* recte poterit: nec; *quod accepit* transactionis nomine, *feudum* erit &c." quæ propositio supponit *distributive*, & ratione Successorum feudalium & ratione Domini; ne alias illud transactionis nomine acceptum intuitu *illorum* esset, intuitu *hujus* vero non esset feudum seu feudale, quod textus non vult, sed simpliciter & indefinite per totum, illud non esse feudum. Dicitur in illis 3.): „Causa per Vasallum..... *quasi propria* ad finem perducatur, ipse

f) Vide II. F. 8. in pr. versu: Rei autem per beneficium investitæ *Vasallus* hanc habet potestatem, ut *tanquam Dominus* possit a quolibet possidente, *sibi quasi vindicare*; & si ab alio ejus rei nomine conveniatur, *defensionem opponere &c.*"

Item II. F. 26. §. 21: „Si Vasallus de beneficio suo agat vel conveniatur: sive obtineat, sive non, *licet ignorante Domino* fiat, *omni tempore* firmum erit illud *judicium*. Nam & *transigere* recte poterit: *nec, quod accepit* Transactionis nomine, *feudum erit*."

Item II. F. 43: „Si Controversia inter Vasallum & alium *de beneficio* fuerit, adversario *proprietatem* totius, vel *partem*, vel *aliud* aliquod *jus* sibi vindicante: causa per *Vasallum*, etiam *Domino absente*, *quasi propria* ad finem perducatur. Ipse enim *solus* utiliter *agendi & excipiendi* habet *potestatem*: & si *pro eo*, aut *contra eum* judicatum fuerit, vel cum adversario *transegerit*, dummodo *fraudulenter* actum non sit, etiamsi post *beneficium Domino aperiatur*, tale erit, ac si *eo causam agente* judicatum fuisset; & ideo ab eo *ratum haberi* oportet."

ipse enim *solus &c.*" Si enim causa hæc Vasallo *tanquam Domino* propria est, & solus hic de feudo agere, excipere, & transigere potest intuitu *Domini*; etiam, imo multo magis, hæc ita se habere debent intuitu *Successorum feudalium*, quamvis ejus non simul hæredum allodialium; cum *proprietas* feudi *superior & primaria* ita spectet ad Dominum, ut intuitu hujus omnis a Vasallo etiam cum agnatorum consensu facta Dispositio alienationis sit *ipso jure* & *radicaliter nulla;* ad Vasallum vero ejusve agnatos qua Successores in feudo antiquo *proprietas* tantum *inferior*, olim species aliqua *ususfructus* tantum, pertineat, ideoque omnis feudi alienatio a Vasallo *cum solius Domini* consensu facta *ipso jure subsistat*, & tantum suo tempore in præjudicium juris succedendi in feudo antiquo agnatis quæsiti vergere non possit *g*). In Casu itaque substrato WILHELMUS *de Elmpt*, tanquam in primi *de Elmpt* feudum BURGAU acquirentis investitura prætense comprehensus, habebat jus per se solum, *ignorante & absente Domino & Successore* alias feudali, non solum revocatorie *litigandi* in judicio usque ad finem super feudo quæst., ut *omni tempore firmum* fuisset illud *judicatum* & intuitu *Domini directi*, & *Successorum* omnium prætense feudalium *de Elmpt*, quamvis ab ipso non descendentium, nec hæredum ejus allodialium; verum etiam ita, uti *nunc transactum est*, etiam *citra* Domini & filii sui CASPARI consensum, tamen de facto adhibitum, desuper recte *transigendi*, ut 1) quod accepit Transactionis nomine (scilicet Summa 3000 Imp.) feudum non sit, atque 2) *omni tempore firmum* sit hoc *transactum*, ac si Dominus & Successores alias feudales *de Elmpt* etiam *collaterales*, quamvis non sint simul hæredes allodiales, causæ transactioni in-

 ter-

g) Videantur desuper Textus feudales in II. F. 39. in pr. & II. F. 52. in pr. & II. F. 23. §. 2. *Hujus autem generis &c.* §. 1. Item II. F. 55. in pr.

terfuiſſent, ideoque ab his omnibus *ratum haberi debeat.* Quomodo igitur nunc hujus ita transigentis WILHELMI Nepotes, & CASPARI adeo contransigentis *filii* contra eandem Transactionem feudum quæſtionis, quousque ſaltem per illos *mala fides*, aut *fraus Parentum* ita transigentium, in eadem Transactione in illorum præjudicium adhibita, non probatur, nec probabilis eſt, jure revocare poſſint, non video.

§. XIV.

Contra hanc Transactionem una cum feudi revocatoria actione *ceſſant etiam* omnia juris remedia *per prætendentes* de Elmpt *intentata, aut alias intentabilia.*

Ceſſabat itaque olim a parte ipſorum transigentium WILHELMI & CASPARI *de Elmpt*, ceſſat & actu a parte filiorum CASPARI adhuc viventium & prætendentium *Revocatio* feudi BURGAU I.) In ſuppoſito, ſi per Transactionem quæſt. ab illis *de Elmpt* ex poſſeſſione ſua dimiſſum, ſicque *ſtricte alienatum* fuiſſet (*Reſp.* § III.—X.). Ceſſat illa *Revocatio* II.) a parte eorundem prætendentium contra illam parentum *Transactionem qua talem* ſimpliciter (§. XI. & XII.). Ceſſant *denique* una cum Revocatione quacunque & III.) *omnia juris Remedia & beneficia* contra hanc Transactionem per illos prætendentes *tum* modo intentata *tum* adhuc alias intentabilia, ſcilicet *fraudis, doli, læſionis, non ſatis examinati ſtatus & qualitatis bonorum,... reſtitutionis in integrum &c.*; *tum* quia illis 1.) dudum modo *præſcriptum* eſt (§. IX.); *tum* quia 2.) his *expreſſis*, & ſimilibus juris beneficiis omnibus & ſingulis, *quamvis* etiam *non expreſſis*, generaliter & reſpective ſpecialiter, attamen *explicite & ſcienter* in ipſa Transactione renuntiatum fuit; *tum* quia 3.) præſentes prætendentes

de

de Elmpt nolunt fuisse, & dicunt, se *non fuisse*, hæredes Patris CASPARI, *nec* esse *voluisse* (§. V. & XI.); cum tamen similia juris beneficia contra negotium aliquod per notoria nemini competant, nisi qui in negotio *ipse* stetit, aut ejus *hæres* est. Prætereatur hic adeo, quod *Remedium L. 2. Cod. de resc. vend.* in specie, qua contra hanc Transactionem primario ex Capite *Læsionis enormissimæ* intentatum, nec *aliunde* ex *pluribus* juris causis & defectibus, & *ex quibus*, locum habere non possit. Quodsi nunc adversaria *Dissertatio* cum subsecuto *Responso Gœttingensi* pro *primaria* saltem, si non *unica*, ut satis persuasum ab hac parte habetur, ita *judicandi norma*, sicut (§. II. in fine) in *priore Instantia* definitive judicatum fuit, observabatur; quid de *Sententia* hac, a qua, *in* & *pro* hujate ulteriore *Instantia* de jure sentiendum, an illa *confirmanda*, an vero una cum interlocutoria de 1777. *reformanda sit*, ex præmissis *Lectori* prudenti orbis litterarii cuilibet, præsertim vero pendentis adhuc Instantiæ *Judicibus*, impartialiter deliberandum & concludendum, *respective* resolvendum ac judicandum innominate & absque ulla præsuggestione hisce relinquitur.

EXTRACTUS DISSERTATIONIS IN PARERGIS.

I. *Conjunctio* illa in *Filio* Patris vasalli *immediato Successore* utriusque & allodialis & feudalis *Successionis* in II. F. 45. contenta caret quidem expresse adjecta, non tamen omni probabili etiam sana ratione tum movente tum finali hic supplenda, minus omni juris analogiæ adversatur (*Dissert.* pag. 3. §. I.—IV.)

II. Sicque Successio *feudalis* a parte *Filii* in feudo patris est quidem *aliqualiter hæreditaria*, seu huic similis, non tamen in hæreditatiam specialiter immutata (*Dissert.* §. IV. pag. 6.)

III. *Finem* autem hujus *Conjunctionis* probabiliorem non invenio, quam hunc *duplicem*, *tum* ut filius qua hæres allodialis *facta* patris *circa feudum* disponendo posita *præstare* teneatur, *tum* ut *vires* hæreditatis paternæ allodialis cum quantitate debitorum hæreditatiorum *examinet*, & noverit, illam quamvis omnem in solutionem horum fideliter dispenset, usque adeo in eventum ad debita transcendentia ex suis, etiam feudi fructibus, media sakem hæreditatis aditione *absque* beneficio Inventarii, exsolvenda *animetur* (*Dissert.* cit. §. pag. 6. 7.& 8.).

IV. Quod autem & quare *filius* non possit hæreditatem patris *cum* beneficio Inventarii & hoc juris effectu adire, ut ex *futuris feudi fructibus* tam parum, ac *reliquo* suo *patrimonio allodiali*, ad debita vires hæreditatis excedentia teneatur, quin minimum mens & authoritas Textus feudalis citati lædatur; hucusque non video, nec capio (*Dissert.* § IV. pag. 7.).

V. Textus II. F. 45. disponens, quod *filius* non possit retinere feudum patris & repudiare allodium, secus ac *agnatus*, de feudo patris *tam* novo, *quam* antiquo, etiam ex *pacto & providentia majorum*, quod a patre perinde ac hæreditas ejus allodialis, ad filium *immediate* ex ejus beneficio devolutum est, loquitur & intelligi debet (*Diss.* §. V. pag. 8.

VI. *Filius* itaque feudum a patre post mortem in possessione relictum *retinere* non potest, *sive* repudiat hæreditatem patris, *sive* illam admittit, seu ei se immiscet; *multo minus* in altero tro casu feudum a patre immediato antecessore *alienatum* potest *revocare* (*Diss.* § VI. pag. 10).

VII. *Filius* post mortem patris, qui feudum in vita per *feloniam* commissam amisetat, & *omnis* ulterior *descendentia* ad hoc feudum, illud e manibus Domini vel respective agnatorum revocando, aspirare non potest (*Diss.* § VII. pag. 13.).

VIII. Hæc autem juris feudalis *dispositio* de *felonia* patris & descendentibus præjudicante non est a parte horum *pœnalis*, nec ejus *Ratio specialis*, sed Textui in II. F. 45. innixa, sicque in utrumque casum feudi a patre in vivis *vel* per contractum *dimissi*, *vel* per delictum *amissi*, & post mortem in possessione non amplius utrobique relicti, ex jure civili communi applicabilis est (*Diss.* § VIII. IX. & X. pag. 14.).

IX. Neque ratio a parte descendentium ita ob delictum patris a jure, quamvis ex prima modo investitura quæsito, excluforum in *vitioso* illorum *sanguine* paterno, nec in metuendis a parte illorum paterni *criminis exemplis*, quæri potest (*Diss.* §. XI. & XII. pag. 20. & sq.).

X.

X. Neque feudum igitur a *Patre ipso*, nec *cum consensu ejus*, si diem feudi exposit ad illum alias devoluti *hic* supervixit, per alium vasallum possessorem principaliter alienatum *a filio* vi Textus in II. F. 45. revocari pvtest (*Diss.* §. XIII. pag. 25.)

XI. Hæc in citato Textu *implicite* latens *Sententia* per Textus alios, scilicet in II. F. 9. & 83. *tum* expresse, *tum* satis manifeste saltem & positive confirmatur, & declaratur (*Diss.* §. XIV. & XV. pag. 28. & sq.).

XII. Per hoc *Capitulum* in II. F. 83. quamvis *extraordinarium*, tamen alteto *ordinario* in II. F. 9. suffultum, in verbis: *Dominus vel extraneus tamdiu teneat sine præjudicio, quamdiu ille, qui dedit, hæredem masculum habuerit. Si vero sine hærede decesserit &c.* etiam clare satis & manifeste exprimitur id, quod alibi, scilicet in I F. 8. §. 1, 13. §. 2., 18. §. 1, & II. F. 26. §. 13. *Titius &c.* & §. fin., uti & in casu ptimo Textus in II. F. 9. per verba: *sine hærede masculo &c.* quidem non ita clate *expressum*, nihilo tamen minus *intellectum* fuit (*Diss.* §. XV. pag. 30.).

XIII. *Capitula* Juris F. Longob. *extraordinaria*, quamvis in thesi vi legis catentia, si tamen nulli Capitulo *ordinario* adversantur, *a)* præ opinione aliqua juris feudalis consulti ordinatio textu non suffulta, præsertim in explicatione Capituli alicujus *ordinarii* parum obscuri aut dubii, vel saltem ita clare non exprimentis, authoritatem *maxime doctrinalem*, *b)* majorem autem quam doctrinalem, si Capitulis ordinariis adeo sunt conformia, imo *c)* una cum his occasionaliter in eadem via *legalem* habent authoritatem (*Diss.* cit. § & pag.).

XIV. Nullum autem Capitulum J. F. Longob. *ordinarium* assignari poterit, quod ex- aut implicite dicit: „filius hæres potest feudum a patre alienatum post hujus „mortem ab alienatario aut ejus hæredibus revocare; *aut*: „feudum a patre in præju„dicium suorum descendentium alienari nullatenus potest.“ (*Diss*, cit. § & pag.).

XV. Nullibi in *Jure feudali* de *filio*, etiam *erga pretium*, uti tamen semper & simplicitet de *agnato* feudum alienatum ut devolutum, etiam *absque pretio*, revocare valente agitur (*Diss.* §. XVI. pag. 32.).

XVI. Neque etiam ullibi in Jure *Civili Romano* sancitum est, quod *hæres* res suas *proprias*, ab *antecessore* alienatas, non quidem *qua talis*, seu *jure hæreditario*, attamen adhuc *jure* Dominii *proprio* ex sua persona vindicare possit, modo *pretium* ab antecessore acceptum, imo & *damnum*, quod alienatarius possessor inde sentit, jure hæreditario, seu qua hæres, *resarciat* (*Diss.* §. XVII. p. 33 & sq.).

XVII.

XVII. Econtra Leges Juris *Civilis Romani* omnes de hac quæstione agentes, quot-quot sunt, in eo conveniunt, quod 1.) hæredi *nullo modo* ex quacunque sui consideratione, scilicet *nec qua tali* seu jure hæreditario, *nec* ex sua persona & *jure* seu *Dominio proprio* alienationem rescindere, & Dominium *cum* aut *absque* pretio revocare liceat (*Diss.* cit. §. Litt. *f*) pag. 34.);

XVIII. Imo 2.) possessori ex *alienatione* non tantum *onerosa*, sed & *lucrativa*, in qua nullum adeo pretium intervenit, contra hanc attentatam vindicationem *doli* aut respective *rei venditæ* & *traditæ exceptionem peremptoriam*, omnis & qualiscunque vindicationis *elisivam*, ita expresse concedant, ut libertæ ejus electioni relinquant, *an* contra hæredem etiam ex sua persona vindicare volentem hac *exceptione* NB. Intentionis adversatiæ *elisiva* se *tueri*, & sic rem *retinere*, *an* rem sibi ab illo evinci sponte permittere, & post rem sic modo & quidem *gratis adinterim* evictam & respective deoccupatam *actione de evictione* ex empto vel ex stipulatu, quanti ejus *interest*, non vero ad *solum pretium*, contra illum experiri velit (*Diss.* cit. §. & pag.).

XIX. Adversaria igitur Explicatio harum Legum, quasi vero hæc *doli exceptio* in illis contenta tantum hæredi, res suas jure proprio *absque pretii refusione* actu vindicanti, obstaret, minus fundata, & perversa est (*Diss.* cit. §. & pag.);

XX. Nec ideo subsistere potest, quia *a*) Exceptio hæc *ob nondum refusum pretium* a parte alienatarii possessoris ex *titulo oneroso* non *peremptoria* nec Intentionis vindicatoriæ *elisiva*, sed tantum *dilatoria* contra claram *Legem* 17. *ff de Evict.* & *L.* 3. *Cod. de rebus alienis non alienandis*, *b*) ex *titulo* autem *lucrativo*, ubi *nullum* unquam *pretium* antecessori a possessore donatario solutum, consequenter nec illi in rerum natura ab hærede antecessoris donatoris vindicare volente refundendum est, contra claram *Legem* 24. *Cod. de Donat.* omnino *inanis* esset; imo *c*) si competeret ita, etiam propter *integrum interesse*, non vero ob *solum pretium*, competere deberet (*Diss.* cit. §. pag. 35).

XXI. Neque aliter loquitur nec intelligi potest JC. PAULUS in *L.* 73. *ff. de Evict.* ab adverso allegata, quam & locutus est ULPIANUS in L. 17, *ff. de Evict.* & *L.* 1. *in pr.* & §. 1, *ff. de Except. rei venditæ*; alioquin tamen esset per IMPERATORES in *L.* 3. *Cod.* jam cit. tit. correctus (*Diss.* §. XVIII. pag. 36).

XXII. Sicque etiam, & non aliter, eosdem IMPERATORES in *L. ult. Cod. de Evict.* de *hæredibus fidejussoris* pro venditore apud Emptorem intercedentis intellige, atque hos

tam

tam in his duabus proprtiis Legibus *adinvicem*, quam cum ALEXANDRO IMPERATORE in L. 11. ibidem de *fidejussore ipso*, cujus tamen nec minor nec major, sed eadem, quæ & *hæredis* post mortem ejus, obligatio ex fidejussione est, idem juris in simili omnino casu statuente feliciter & bene conciliabis (*Diss.* §. XIX. pag. 37. & sq.).

XXIII. Quid inde jam clarius, quam quod & adeo ex principiis *juris civilis* adversaria Sententia sit erronea, scilicet quod filius patris hæres allodialis, *modo* ad pretium patri solutum instar debiti hæreditarii *sine causa* penes illum existens reddendum sit *paratus*, ad revocationem feudi a patre alienati, *tanquam* ad illum devoluti, de jure sit admittendus (*Diss.* §. XVI. pag. 32., & §. XX. pag. 39. & sq.).

XXIV. Quod *a*) feudum a parte vasalli *alienantis* ejusve *descendentium* sit *res aliena*, quod *b*) Emptor feudum *ultra*, quam in quantum vasallo alienatori, ejus descendentibus, aliisve futuris in feudo Successoribus, & hæredibus simul allodialibus, *proprium* est, sicque *c*) ut rem alienam *scienter* cum Domini consensu *emat*, aut *præsumatur emisse*, atque *d*) *ideo* filius patris vasalli alienatoris hæres allodialis ad effective revocandum feudum, *solum* refundendo *pretium*, satisfaciat, diserte *negatur* (*Diss.* §. XX. pag. 40 & 41.).

XXV. A *Filio* tempore feudi a patre alienati *nondum nato nec concepto* adhuc *minus*, quam *modo nato*, feudum hoc revocari posse, ex II. F. 26. §. *filii nati &c.* 29. & 39. satis clarum est, etiamsi, ut *interim* supponitur verum, a tali *fideicommissum* familiæ allodiale, *ne unquam vadat extra familiam*, initialiter conventum aut dispositum, expost vero in manus extraneas alienatum, revocari posset (*Diss.* §. XXI.—XXIV. pag. 41. & sq.).

XXVI. Probatur hoc ulterius a *pari*, 1.): *tempore* delatæ hæreditatis aut bonorum possessionis *nondum natus*, nec ipse ad alteutram admittitur, nec *obstat* aliis; 2.): *tempore* venditionis *nondum natus nec conceptus* non potest *retrahere* bonum venditum *Retractu gentilitio* seu *consanguinitatis*; ergo nec talis filius potest feudum a patre alienatum unquam *revocare* (*Diss.* §. XXV. pag. 47. & §. XXVI. pag. 49.).

XXVII. Aditio hæreditatis paternæ, quamvis obæratæ, & *cum beneficio Inventarii* per filium facta, hunc tamen ad feudum a patre alienatum revocandum non qualificat (*Diss.* §. XXVII. pag. 51. & sq.).

XXVIII. Hæres enim, quamvis *cum* Inventario, ad facta antecessoris, etiam in *re propria*, est *indistincte* obligatus (*Diss.* §. XXVIII. pag. 54.).

XXIX. Hæc etiam *obligatio* in alienatoris hætede nec *testamentarium*, nec antecessoris *hæreditarium*, sub beneficio Inventarii in *L. ult. Cod. de jure delib.* comptehensum est *debitum* (*Diss.* §. XXIX. pag. 55.).

XXX. Imo, si etiam hæc obligatio esset debitum aliquod *hæreditarium*, beneficium tamen Inventarii hæredem ab illa non liberaret (*Diss.* §.XXX. pag. 57. & §.XXXI. pag. 59.).

XXXI. Atque hæc *obligatio* per conjunctam in filio utramque Successionem in II. F. 45. ita *implicite* (Parerg. I. & sq.) intenditur, sicut illa jure *Saxonico Electorali* im Torgauischen Ausschreiben vom 8ten May 1585. Tit. : welcher gestalt die Agnaten ꝛc., velut interpretatione legali, *expresse* declaratur (*Diss.* §. XXXI. pag. 59.).

XXXII. Beneficium itaque *deliberandi* per posterius *beneficium Inventarii* Justinianeum in *L. ult. Cod. de jure delib.* non est *penitus* sublatum, nec inutile hæredi, quamvis *cum* beneficio Inventarii, esse volenti (*Diss.* §. XXXII. pag. 61.).

XXXIII. Cum adhuc multum de *jure civili* intersit, hætedem alicujus *cum* beneficio Inventarii *esse*, ab *una*, & hætedem simpliciter *non esse*, ab *altera parte* (*Diss.* cit. §. & pag.).

XXXIV. Etiam de *jure feudali* differt, antecessoris vasalli alienantis hæredem allodialem, quamvis *cum* Inventario & *necessario*, esse ab *una*, & *nullatenus* esse, nec esse necessario debere, ab *altera parte* (*Diss.* §. XXXIII. pag. 63.).

XXXV. Regula itaque juris: *Nemo ultra, quam honoratus est, gravari potest*, eo minus hic applicabilis est, quo certius de Testatore ipso, quod hæredes suos in Testamento Legatis & fideicommissis qua *debitis testamentariis* non ultra, quam eosdem in illo honoravit, gravare possit, tantum loquitur (*Diss.* cit. §. & pag.).

XXXVI. Hæc igitur Regula non impedit, quo minus hæres semetipsum per hoc, quod factus sit hæres, *obligatione aliqua hæreditaria*, scilicet præstandi factum antecessoris, etiam ultra commodum hæreditarium, imo etiamsi nihil ex hæreditate capiat, præsertim juxta Legem ita permittentem & disponentem, gravare possit (*Diss.* cit. §.).

XXXVII. In Quæstione feudali: „an filius feudum a patre alienatum possit revocare" *non per totum* valet Argumentum a *bonis* seu *fideicommissis familiæ* allodialibus ad feuda quamvis ex *Pacto & providentia majorum* (*Diss.* §. XXXIV. pag. 65.).

XXXVIII. Nec Leges desuper, præsertim ex *Titulis ff. de Legatis*, allegandæ quidquam hujus quæstionis feudalis hujati Resolutioni negativæ obstant, imo adhuc potius

eandem confitmant. Vide L. 67. §. 2. 3. & 4. *de Legatis III.* & L. 114. §. 15. 16. & 17. *ff. de Legatis II* .(*Diff.* §. XXXIV. pag. 65.).

XXXIX. Quod autem in *uno* de familia hæredis fiduciatii *hærede*, fideicommiſſum ab extraneo repetere non valente eſt *juris* ſcilicet *civilis* & expreſſi, hoc idem & juris, quamvis etiam non expreſſi, eſt in *omnibus* de familia hæredibus hæredis fiduciatii (*Diff.* §. XXXV. pag. 68.).

XL. Nec contrarium cum ADVERSARIO in L. 67. §. 3. & 4. verſu: *perinde &c.* item: *cateris &c.* ff. *de Legatis III.* aut L. 69. §. 1. verſu: *quod exter hæres &c.* & §. 3. verſu: *omnes fideicommiſſum petent &c.* ff. *de Legatis II.* quæras, velim (*Diff.* §. XXXVI. pag. 70. & §. XXXVII. pag. 72.).

XLI. ADVERSARIUS adeo in ſæpe citata *Diſſert.* ſcilicet Cap. II. §. III. ab una, & Cap. III. §. IV. in ſpecie quoad L. 69. §. 1. & 3. ff. *de Legatis II.* male intellectam & explicatam ab altera parte, circa *agnatos* fideicommiſſum familiæ repetere *valentes* vel *non*, aperte ſibi contradicit (*Diff.* cit. §. & pag.).

EXTRACTUS RESPONSI IN PARERGIS.

I. *Transactio Wilhelmina* avita (*in Reſp.* §. I.) *trium fratrum* & reſpective *Nepotum* actu prætendentium DE ELMPT, etiam 1*mo)* ut alienatio feudi BURGAU *ſtricte talis* conſiderata, obligabat *Imprimis* filium & reſpective patrem CASPARUM, quin unquam 1.) ex principiis & vi Textus in II. F. 45. contravenire potuerit (*Reſp.* § III. pag. 80.);

II. 2.) Quia eidem, uti & *Quittancia* ſolutorum in Transactione conventorum 3000 Imper. (*Reſp.* §. I.) una cum parentibus ſuis qua pars *contransigens* ſubſcripſit (*Reſp.* §. IV. pag. 82.);

III. Contractui autem vaſalli circa feudum initò ſimpliciter ſubſcribens, *ſive* Dominus, *ſive* agnatus, *ſive* filius, *ſive* ſimultanee inveſtitus, *qua talis* ſubſcripſiſſe, & in illum conſenſiſſe ita in theſi præſumitur, ſicut creditor pignoratitius vel hypothecatius in venditionem boni abante ipſi oppignorati vel hypothecati, ſi Tabulis venditionis ſimpliciter ſubſcripſit (*Reſp.* cit. §. & pag.).

IV.

IV. *Deinde* hac Transactione ex eodem jure (sub n. 1.) Patergi I.) CASPARIS, si etiam hic non ita contransegisset, una cum WILHELMO ejus Patre dudum modo mortui descendentes *filii* & respective *nepotes*, quamvis feudum adhuc prætendant, & quidem I.) *qua tales* obligantur (*Resp.* §. V. pag. 83.);

V. Sive Patris CASPARI hæredes allodiales quomodocunque, *cum* aut *sine* Inventario, fuerint, sive non fuerint, quia esse noluerunt aut repudiarunt (*Resp.* cit. §. & pag.)

VI. An autem revera fuerint hæredes nec ne, quæstio est, quæ exinde non potest, uti tamen a parte *Actorum* vult, decidi, an scilicet quid veri lucri ex hæreditate ejus ceperint, an vero non (*Resp.* §. cit. pag. 84.);

VII. Qualitas enim *hæredis*, seu Successionis in *universum jus* defuncti, quamvis magis passivum, vel *non hæredis* ab eo dependet, num Patris CASPARI hæreditatem adierint, seu illi se immiscuerint, vel non, & illam repudiarint, seu ab illa se abstinuerint (*Resp.* cit. §. & pag.).

VIII. Argumentum hoc itaque: „Patris nostri mobilia relicta ad instantiam Credi„torum sunt distracta &c. ergo non fuimus ejus hæredes" omnino inane & ridiculum est (*Resp.* §. cit. & §. VI. pag. 85.);

IX. Imo adhuc lepidius est, ita concludere & asserere: „non fuimus hæredes Patris" & nihilominus contra Transactionem Patris Remedium *L.* 2. *Cod. de rescind. vendit.* simul intentare (*Resp.* cit. jam §. & pag.).

X. Jus feudale *Longob.* in specie quoad Textum in II. F. 45. signanter, *quod filius non possit repudiare hæreditatem Patris allodialem retenta feudali*, etiam in DUCATIBUS JULIÆ & MONTIUM ubique receptum esse, satis constat (*Resp.* §. VII. pag. 86.).

XI. Quotcunque etiam juris feudalis periti feudum: *pro hæredibus &c.* primi acquirentis simul expresse, aut *informiter*, seu *simpliciter* concessum tanquam *ex provisione legis*, seu *hæreditarium mixtum* volunt adhuc distingui a feudo: *pro descendentibus, liberis &c.* dato, tanquam unice *ex pacto & providentia majorum* nominando feudo (quam tamen distinctionem tam parum, ac ADVERSARIUS, meam facio, sed omnia hæc feuda adhuc *ex pacto & providentia* habeo) (*Diss.* §. I. Litt. *b*), iidem tamen *prius* saltem huic Textui & ejus contento subesse affirmant (*Resp.* cit. §. & pag.).

XII. Feudum igitur BURGAU quæst. & huic Textui feudali in specie eo ipso subest, quo omnes successive *Renovationum* & *Reversales Litteræ* hucusque visæ in forma *pri-*

orum,

orum, scilicet *informiter*, expeditæ, & ad anteriores investituras continue & simpliciter se tantum referentes reperiuntur (*Resp.* cit. §. & pag.).

XIII. CASPARI descendentes *de Elmpt*, modetni quamvis prætendentes, feudum BURGAU quæst. jure revocare non possunt, imo adhuc minus II.), quia & *tempore* Transactionis *avitæ* & *paternæ* simul de 1705 *nondum* erant *nati*, nec *concepti* (*Resp.* §.VIII.pag.87);

XIV. III.) Quia tam huic *revocatoriæ Actioni*, quam *omni* juris *Remedio*, tum intentato, tum alias intentabili, modo longior, quam *trecennalis* necessaria, obstat *præscriptio* (*Resp.* §. IX. pag. 89.).

XV. Neque hæc præscriptio per *interventionalem Instantiam* a CASPARO *Wetzlariæ* 1724. factam (Vid. *Resp.* §. III.) ullatenus fuit *interrupta* (*Resp.* §. X. pag. 91.).

XVI. Hæc enim Instantia, tanquam *feudalis*, *Wetzlariæ* fiebat 1.) *incompetenter*, sicque erat ad summum tantum *extrajudicialis*, ad *interrumpendam* vero possessionem, possessoremve in *mala fide* constituendum *inefficax* (*Resp.* §. cit. pag. 92.).

XVII. 2.) Hoc *interventionale* Exhibitum *nec* nomen *nec* effectum *Interpellationis* cujuscunque, etiam extrajudicialis, meretur (*Resp.* §. cit. pag. 93.);

XVIII. Imo 3.) nequidem ut *medium* præscriptionem interrumpendi *extraordinarium* & *subsidiarium* juxta *L. 2. Cod. de annali Except.* considerari potest (*Resp.* cit. §. & pag.).

XIX. In *Pactis dotalibus* quidem DANIELIS *de Elmpt* (*Resp.* §. *I.*), non vero in *Transactione* a WILHELMO *Avo* & CASPARO *Patre de Elmpt* expost desuper inita, *alienatio feudi stricta*, ut tamen supra in *Parergo I. interim* supponebatur, latebat (*Resp.* §. XI. pag. 94. & §. XII. pag. 96.);

XX. Nunc vero in substrata causa feudali prætense revocatoria *ultimum* & *unicum* objectum *Quæstionis* est (*Resp.* §. XII. pag. cit.).

XXI. Omnis *Transactio* super feudo facta *simpliciter* & in *thesi* obligat *Dominum & quoscunque* transigentis *Successores* alias in feudo, consequenter & *descendentes* multo magis adhuc & facilius, quam alienatio feudi stricta (*Resp.* §. XIII. pag. 97.).

XXII. Neque hic in jure feudali distinguitur, an illi Successores alias in feudo sint hæredes transigentis allodiales facti, nec ne (*Resp.* cit. §. & pag.).

XXIII. In casu itaque substrato WILHELMUS *de Elmpt*, tanquam in primi *de Elmpt* feudum BURGAU acquirentis investitura prætense comprehensus, habebat jus per se solum *absente & ignorante* tum *Domino* tum *Successore* alias feudali 1.) super feudo quæst.

post mortem FRANCISCI HYERONIMI *de Elmpt* usque ad Sententiam definitivam, loco Transactionis nunc initæ, in judicio *revocatorie litigandi* ita, ut omni tempore illud *judicatum*, si contra illum etiam evenisset, & intuitu Domini, & Successorum omnium alias prætense feudalium *de Elmpt*, quamvis ab ipso etiam non descendentium sed collateralium nec ejus hæredum allodialium, *firmum* fuisset;

XXIV. 2.) Etiam citra Domini & filii sui CASPARIS consensum, de facto tamen adhibitum, facto etiam modo ita *transigendi*, ut omni tempore nunc firmum sit hoc *Transactum*, ac si *Dominus* & *Successores* alias feudales *de Elmpt* etiam collaterales, multo magis descendentes, huic transactioni interfuissent (*Resp.* §. XIII. pag. 99.).

XXV. Contra hanc Transactionem WILHELMI AVI & CASPARI Patris per filios & respective Nepotes modernos prætendentes *de Elmpt* feudum nec *revocari*, nec aliud uris *Remedium* e. g. *fraudis*, *doli*...., *lesionis*, *non satis examinati Status & qualitatis bonorum*,.... *restitutionis in integrum &c.* tum modo intentatum, tum alias saltem intentabile locum capere, & quidquam efficere ulterius exinde potest, quia 1.) his omnibus *tum* in specie *tum* in genere attamen *expresse & scienter* in Litteris *Transactionis* (Vid. *Resp.* §. I.) renuntiatum, & 2.) ab Actoribus *de Elmpt* in Actis allegatum fuit, se Patris CASPARI contransigentis hæredes *non fuisse* nec *esse voluisse* (*Resp.* §. XIV. pag. 100.).

ERRATA.

Pag. 1. sub Litt. *a*) in Columnæ secundæ linea 7tima loco *cum* lege: *eum*.
Pag. 6. in linea 7tima lege: *propria*.
Pag. 9. in Litt. *f*) linea altera loco §. XII. lege: XIII.
Pag. 20. in Litt. *w*) linea 11ma post *To*: *antiquum* superadde omissum: *stemmaticum*.
Pag. 34. in Litt. *h*) in fine loco *porrione* lege: *portione*.
pag. 52. in Litt. *b*) in fine loco *Cep.* lege: *Cap.*
Pag. 55. §. XXIX. in linea 2da post *desiderantia* loco *puncti* habe *comma*.
Pag. 61. in 1ma linea post *hic* omissum supple: *&*.
Pag. 62. in linea 17tima loco *adire* lege: *adiri*.
Pag. 63. in linea 10ma §. XXXIII. loco *spece* lege: *specie*.
Pag. 68. in pr. post *juris* adde *expressi*.
Pag. 74. in linea 15ta loco *causa* lege: casu.
Pag. 80, in linea ult. §phi III. loco 1mo) lege: 1) sicut in nigro hujus §phi habetur.
Pag. 82. in linea ult. §. IV. in quibusdam Exempl. lege: *perfecta*, uti & Pag. 83. in pr. lineæ 2dæ: *superstitis*.